LAI
IA.
I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITACIO VIII.

De

Fortitudine.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profesſ. Publ.

Placidæ ventilationi ſubjicit

DAVID ERDTMANNUS,

Mariæb. Boruſſ.

In Gymnaſio Gedanenſi.

Ad diem Octobr.

Horis locoq; deſtinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO VIII.

De

Fortitudine.

Temperantiam ordine doctrinæ fortitudo excipit, etsi dignitatis ratione præferri possit, *d. 7. t. 2.* Ut n. illa animum munit adversus ea, qvibus ab officio blandè possit abduci: Sic hæc armat adversus illa, qvibus ab eodem deterreri qveat. Utroq; modo firmandus animus, & ne jucundis inescetur, & ne periculosis percellatur. *Duobus* enim maximè homo à bono rationis removetur, *sensibili maximè delectante*, per passionem delectationis, & *periculo magni cujusdam mali*, per passionem timoris. Huic fortitudo succurrit.

2. *Nomen* fortitudinis interdùm pro robore Corporis, sic Leo fortis est, & occiditur, sic eqvo, Rhinoceroti, fortitudo, *Job. 39. v. 14 19.* Interdum pro vi & potentia Dei, *Exod: 15. v. 3. 2. Samuel: 27. v. 2. 19.* Aut viris fortibus, *Esai. 3. v. 25.* Interdum pro fiduciâ animi, qvà adversa aut terribilia tolerantur. Sic *vel* pro apparente fortitudine sumitur, ut cum spe præmii, honoris, pœnæ metu, coactè, aut experientiæ confidentiâ, iræ & vindictæ amore, stoliditate & imprudentiâ, vel auxiliorum fiduciâ, pericula adeuntur & superantur, ut in pugnacibus, rixosis, temerariis, inexpertis: *vel* pro verâ, qvæ verè medium prudentiæ in formidabilibus tenet. Sic hic. Dicitur à forti, ferre, & ferendo. Græcè ἀνδρεία, à viro, qvod eum maximè deceat, unde Poeta, Est Mascula certè, fœmineo velata licet sit nomine, Virtus. Germanicè, Manheit/ Tapfferkeit.

3. Realis tractatio ejus *in definitione, subjectis, divisione, & cognatis ac oppositis* spectari potest.

4. *Definitio est, qvòd sit virtus moralis directa, mediocritatem prudentiæ in formidabilibus honestatis & publicæ utilitatis gratiâ servare docens.*

5. *Genus est virtus moralis directa*, qvæ ex *disp: 4.* patent. *Differentia in reliqvis est, & à modo versandi, objecto, ac fine sumpta est. Ex modo versandi* mediocritatem prudentiæ servare docere dicitur, h. e. perfectionem illam moralem, qvam prudentia inter excessum & defectum servare docet, ut actus virtuosus, honestus, & decorus sit. Hæc enim talis perfectio est, *d. 4. t. 5. seq:* Sic fortitudo medium illud servat inter Stoicum stuporem, & nimium timorem, animumq; disponit in *fortiter aggrediendo, constanter pergendo, & feliciter egrediendo. Aggrediendo,* ut fortis confidenter & prudenter formidabile aggrediatur, animo alacri, erecto, plenus spei & exspectationis, objectum, finem, & media ad eum circumspectè meditetur & eligat, ut omnia honesta, publicè aut privatim utilia, ac decora sint. Secus non decet pericula adire, sed declinare, & vitam non prodigere, sed patriæ & publico usui servare. Non enim fortis temerè se periculis objicit, nec animum in illis abjicit. Sic Demonax aqvam fervidam fugiens, & meticulosus habitus; An, inqvit, hoc pro patriâ passurus essem? *Erasmus lib. 8. Apopht:* Achilles dolebat, cum se in Scamando fluvio periturum videbat, qvòd non gloriosè & utiliter mori posset, *Homer. l. 21. Iliad.* Æneas cum naufragio. *Virg. 1. Æneid. v: 98. seq.* Alexander, cum morbo, & ereptâ è manibus victoriâ, *Curtius l. 3. C. 4.* Et Varroni post cladem Cannensem gratiæ actæ, qvòd se Reipubl. servasset, cum Paulus Col-

lega

lega ejus in lapide confidens transfossus esset. *Liv. lib. 22. cap. 49. 61.* Sic Ajax pugnax, sed Ulysses prudens, eoq; verè fortis erat. *Cocinus præf. Hermog. Ovidius lib. 13. Metam.*

6. Sic *non eligit medium prorsus ambiguum*, publicè periculosum, aut sceleratum & inhonestum. *Ambiguum*, qvod tam à parte justi, qvàm injusti esse, potest. Tale *Monomachia & duellum* est, cujus eventus dubius. Sic Marius cum provocatore Teutono non congressus est, sed si eum vitæ tœderet, laqveo eam finire posse respondit. *Frontin: lib. 4. Strateg. Cap. 7.* Simile qvid Antigonus Pyrrho reposuit, & militiam suam tàm armorum, qvàm temporum, esse dixit. *Erasm. l. 4. Apopht.* Qvidam duella publica Magistratus authoritate inita, & pro salute publicà suscepta, probant. Sic cum ad dirimendum bellum duellum eligitur, bellumq; in duellum mutatur. Tùm morte unius integrum exercitum servari, ubi justam subeundæ mortis causam esse. Secùs pravum duellum, cum mors ex causâ non sufficiente eligitur. Ita *Cajetanus q. 95. a. 8. Navarrus C. 11. man. n. 39. Valentia T. 3. d. 3. q. 17. Becanus p. 2. T. 2. Th. Sch. Cap. 26. Strevesdorf. dis. de Just. & Jur. q. 64. a. 3. Alstedius Eth. 3. cap. 13. Et Theol. Casuum. C. 18. t. 2. Keckermannus Lib. 2. Eth. cap. 4. Et disp. 32. Curs. Phil. q. 8. Andreas Osiander ad 1. Samuel. 17. v. 50. qvi Wellerum* citat. *Velstenius d. 5. Eth. q. 9. Meisn. 4. d. leg. s. 1 q. 21. J. Martini C. 5. d. 8. q. 8. Gutkius dis. 5. Eth. q. 3. aliiq.* Et apud Veteres mos probandi innocentiam per duellum erat. *Vid. Delrium lib. 4. disq. Mag. c. 4. Jac. Marti. c. l.*

7. *Rectiùs* improbantur duella, & non forti eligenda dicuntur, cum *Jure Canonico decr. p. 2. cap. 2. q. 6. c. 22.* Et *Theologis, Balduino L. 4. Cas. Consc. cap. 1. Broch-*

ando d. lege, C.12. q.4. Danæo lib.2. Eth. Christ. c.13. Martinio, lib. 2. pi. Christ. cap. 6. Amesio lib. 5. Cas. Conscient. c.32. Martyre in 1. Samuel.17. & Class.4. Loc. C. Loco 18. E Philosophis *Elero d. 6. Eth. t.27. aliisq́. Hotomannus* furiosas probationes appellat, *in fine lib. d. feudis, Herodotus lib. 1. hist.* Jus publicum ejusq; decisionem minimè duello permittendam dicit, nam inde bella posteà nascantur. Rex Galliæ edicta contra ea promulgavit. *V. Botereum lib.16. Comment. Lansium Orat. c. Galliam.* Et ratio est, qvia eventus duelli dubius est, & tàm in injusto, qvàm justo, felix esse potest, eoq́; mediũ prudenti fortitudini eligendũ esse non potest. Prudentia enim non dictat media privata prorsùs ambiguæ veritatis, & indifferentia ad Justum & injustum. Nisi peculiaris Dei instinctus, motus, & incitatio accedat, ut in Davide cum Goliatho, *1. Sam. 17.* Et in Heroicis naturis, ut Scanderbego contra Turcas, *Camerar. C. 1. c. 82.* Sic de eventu felice confidi poterit. Secùs Justitiam duello dijudicare est proprium hominis per commune cum beluis, ut robur, vires, agilitatem, explorare velle, qvod insolens, & bellum in duellum mutare diffidentiam arguit. Potiùs causæ bonitati & Deo fidendum, qvod agi potest, agendum, & eventus Deo committendus, qvi & per inferiores victorias largitur. *Deut. 32. v. 30. 1. Sam. 14. v. 6. 2. Chron. 14. v. 11. 1. Macc. 3. v. 8.* Sic Lucullus contra Tigranem pugnans 5. suorum amisit, & 100000. hostes trucidavit. *Erasm. 5. Apopht.* Cæsar 50000. delevit, & vix 50. è suis amisit. *Plutarch. in Cæs.* Galli 1500. ad 300000. Turcas vicerunt. *P. Matth. lib. 6. hist. nar. 4. t. 8.* Exempla plura *Curtius lib. 3. cap. 11. l. 4. cap. 16. Zvingerus in Theat. & Beyerling in Pol.* aliiq́; habent. *Aliud autẽ*, si contra invasorem coactè in duellũ procedere cogaris, & vitam aliter

defen-

defendere neqveas; sed necessariâ defensione uti oporteat, qvæ Juris naturalis est. *Aliud*, si spontè & ex destinato in duellum promittas, cum alia media Justitiæ suppetant, qvod temerarium & illicitum est. Duellatorum exempla apud *Curt. lib. 7. cap. 4. l. 9. c. 7. Camerar. C. 2. c. 19. 20. Zvingerum Vol. 17. l. 4. Beyerling voc. duellum. P. Messiam l. 2. mem. c. 8. & L. 4. c. 8.* vide. Ex professo *de duello* scripserunt *Joh. d. Lignano, Bocerus, Bockelius, Petr. Jacobi, Vasqvius T. 1. Controv. d. 18. Cardinalis Tuscus T. 2. conclus. 805. n. 11. Berlichius p. 2. conclus. con. 16. aliiq;.*

8. *Medium inhonestum*, qvod honestati, decori, & rectæ rationi repugnat. Ut homicidium, veneficium, magica vis, proditio, dolus illicitus, & virtutem lædens. Finis enim virtutis sub formali honestatis intendi debet. Non autem honesti formale sub mediis inhonestis servatur. Sic Fabricius respuit venenum Medici contra Pyrrhum hostem. Alij aqvas intoxicârunt, qvibus hostes perirent, & maturam, sed infamem victoriam, fecerunt, *ut Aqvilius, Flor. l. 2. c. 20.* Alij sicarios in hostes conduxerunt, ut Darius in Alexandrum, *Curt. lib. 4. c. 10. 11.* Et alij in alios, *Camer. C. 1. c. 70. C. 2. c. 7.* Dolus illicitus in mendacio, perjurio, æqvivocatione, fidei elusione, violatione, detorsione, est. *Exempla Idem C. 2. c. 77. 78.* habet. *Liciti doli* in Strategematibus, simulationibus, hostis distractionibus, compendiis, improvisis irruptionibus, & similibus sunt, & licitè occupantur. Sic Parmenio noctu Darium aggredi svasit, sed Alexander renuit. *Curt. lib. 4. c. 13.*

9. *Progrediendo*, ut rem ceptam animosè perseqvatur, ut Abraham Reges, *Genes. 14.* Constanter continuet, difficultates devoret, non illis succumbat, ut Cato seipsum occidens, propositum urgeat, secundis se non extol-

extollat, adversis non dejiciat. Sic *Cato* mutatâ Reipubl. formâ constans peseveravit. *Desistendo*, ut & tempus desistendi advertatur, ne desistatur, cum res pergere reqvirit, non desistere, ut Caligula in Italiam rediens. cum vix hostem in Germaniâ vidisset, minùs vicisset, *Sveton. Calig. c. 45. 46.* Et modus, ne crudeliter, sævè, scandalosè, inhonestè, desistatur. Sic Caligula post bellum legiones qvasdam trucidare voluit. *Sveton. c. l. cap. 48.* Persæ Græcis post pugnam manus, pedes, aures, amputârunt. *Curt. lib. 5. c. 5.* Qvidam in cadavera hostium sævierunt, ut Achilles in Hectoris, Alexander in Batys, *Curt. lib. 4. c. 6.* Sylla in Marij, *Camerar. C. 1. c. 3.* Cambyses in Amasidis, *Apoleph. l. 1.* erquick. Ubi cogitandum forti, *Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.*

10. *Ex objecto* medium in formidabilibus servare dicitur. *Objectum fortitudinis internũ* est affectus irascibilis, *externum* omne terribile. Hoc *vel* supra hominem, qvod capacitatem ejus excedit, idq; divinum, ut eclipsis solis in passione Christi, *Vid. Passional. t. 48.* Diluvium Noeticum: vel Magicum, ut spectra, vid. *de Mag. act. C. 9. t. 41. 42. Vel* Physicum, ut tonitrua, terræ motus, hæc metui forti possunt, qvia per animi vires & moralia nihil virtutis ad ea producenda aut avertenda habet, & qvi talia non metuunt, Athei, insani, vel insensati sunt, ut Xerxes, Psylli, Celtæ, &c. *Vid. Lansium Orat. pro Galliâ.* Salmoneus, Cosroes, Brutus, Democritus, aliiq;, *Camerar. C. 2. c. 28. Vel infra* hominem, qvod metui indignum est, ut motio foliorum in arbore, fabulæ aniles, *Vel circa hominem*, qvod humanæ conditionis, & vitari ab eo potest.

11. Hoc *vel metuendum absolutè*, ut vitium & inhonestum, *vel comparatè*, pro ratione circumstantiarum,

ut in-

ut indifferens. Sic si ob culpam incarcereris, metuendum, non, si ob virtutem & benè meritum. Hoc primarium est, ut mors, terribilissimum terribilium, *3. Nicomach. cap. 9.* Non naturalis aut casualis & fortuita, sed moralis, ob causam positivam moralem voluntariè ac electivè subeunda. Hæc *vel in bello* est, mors bellica, qvæ inprimis attenditur, ob decorem, certamen, causam, intentionem: *Vel pace*, ut cum ob virtutem, fidem, innocentiam, defensionem, mors sustinetur. Huc mortes *Martyrum* referuntur, qvi fortissimi censendi, & pro fide Christi vitam, facultates, & sangvinem profundunt. *V. Gutkium disp. 5. Eth. q. 8. Eustachium S. Pauli. p. 3. Eth. f. 3. t. 3. Lessium 3. d. J. & J. c. 1.*

12. Aristoteli fortitudo ista incognita, & non tractata est, qvia superioris ordinis, ac virtus moralis est. In Martyribus enim fortitudo Spiritualis, divina, Theologica, & Christiana, divino principio indita, non morali assvefactione acqvisita est, *nec medium* hic ex præscripto moralis prudentiæ servatur, sed amore gloriæ Dei & Christi omnia aguntur & perferuntur, ex corde vivâ fide & ardore in Deum instructo oriuntur, à fide in Deum diriguntur, ad finem ultramoralem, Dei gloriam, veræ fidei demonstrationem & confirmationem, aliorum in fide roborationem, Spiritualis vitæ exemplum, hostibus fidei & Tyrannis in opprobrium, tendunt, non honestatem vel felicitatem civilem, ut moralia faciunt, & peculiariter à Deo gratiosè operante animis martyrum fortitudo ista infunditur, non moralibus actibus, dictamine prudentiæ, assvefactione naturæ, qvotidianâ inflexione, acqviritur, seruatur, aut usurpatur, nec à mundo ac mundanis hominibus æstimatur, ut fortitudo Politica solet, sed contemnitur ac irridetur, & Martyres fermè contemptissimi in

Orbe ſunt. *2. Cor. 4. v. 11. 1. Cor. 4. v. 9. Hebr. 11. v. 36. ſeq.* Etſi coram Deo pretioſa mors illorum ſit. *Pſalm. 116. v. 15.* Qvi aliter ac mundus æſtimat. Qvidã heroes illos, & Chriſtum heroem vocant, ut *Bembus*. Sed *Scaliger* impietatis Ethnicæ vocem eſſe, ſemiDeum notare, & commenta Poëtica olere ait, apud *Taubman. in Cul. Virg. V. 354. V. dis 5. t. 23. Dec. 3.*

13. *Secundarium objectum* omne adverſum, periculoſum, & moleſtum eſt, ut exilium, Carcer, raptus, infamia, paupertas, miſeria, injuriæ. Ubi *qvædam* contemnenda, ut injuriæ, mendacia, calumniæ, *qvædam* ſuperanda, ut labores, moleſtiæ, difficultates, *qvædam* ſufferenda, ut exilium, carcer, paupertas. De qvibus egregiè *Seneca* in Libro, qvòd in ſapientem non injuria, *C. 8 9. &* de animi tranqvillita. *C. 10. 11. 12. Curtius l. 5. c. 5. Jonſtonus 3. Eth. c. 2. m. 5. alijq́.* Utrumq; *vel repentinum* eſt, ubi animus ſemper præparatus eſſe debet. Serò enim ad pericula & patientiã poſt pericula inſtruitur, *Vid. Senec. de tranq. c. 11. Et 3. d. Ira. c. 32.* Vel prævisum ac præſcitum, de qvo dicitur, Tela prævisa minùs nocent. Ita Socrates egit. *V. Eraſm. l. 3. apophț.* Ex fine medium honeſtatis & publicæ utilitatis gratiâ ſervare dicitur. *V. t. 5.*

14. *Subjectum fortitudinis* eſt *denominationis*, homo, tàm mas, qvàm fæmina, etſi hæc rarius, Exempla tamen *Curtius L. 5. c. 6. L. 6. c. 5. Zuingerus & Beyerling in Theat. Apolepht. p. 1. & 2.* **erquickſtund.** *Et inhæſionis*, ut voluntas & appetitus iraſcibilis, *t. 10. An Adamus integer verè fortis fuerit*, qværitur? Fuit, ſed per eminentiã qvandam & proportionẽ, non rigidè. Non enim acqviſitus habitus fuit, ſed concreatus, eoq; principiũ non morale habuit, *d. 3. t. 4.* Nec objecta, pericula aut mors, ibi fuerunt,

cum

cum immortalis creatus, *Dec. 2. Misc. d. 10. t. 13.* Nec extrema, timor & audacia, in isto statu locum habuerunt.

15. *Ex divisione fortitudo est vel suscipiens*, qvæ aggreditur pericula, *vel tolerans*, qvæ suffert. Unde sustinere & abstinere, leide vnd meide/dici solet. *Vtraq; vel togata*, qvæ in pace, eaq; privata & publica est, *vel Sagata*, qvæ in bellica administratione peragitur. Hæc *an Christiano conveniat, eoq; an universim bellum illi inter se ac contra Christianum, sic enim qvidam specialiter determinant, licitum sit, qværi* solet. Negant hoc ex veteribus *Tertullianus, Origenes, Manichæi*, Ex novellis *Erasmus, Agrippa, Anabaptistæ in Collo. Frankentha. Weigelius*, alijq;, *Photiniani, Ostorod. c. 22. 28. Inst. Socinus lib. Svas. c. 3. Smalcius d. 6. poster. c. Franz. Weig. in 22. p Trinit. Stifeliani, Arminniani, Novi Prophetæ Paracelsistæ, alijq;*. Affirmant *Patres* qvidam, *Pontificij, Lutherani, Reformati* communiter. Et rectiùs. Scriptura enim indifferenter bella licita esse ait, regulasq; gerendi belli describit, *Num. 10. v. 9. C. 31. v. 27. Deut. 20. v. 21. Luc. 8. v. 14. Rom. 13. v. 4.* Nunqvam Christianos excipit: Et vindicta publica etiam in N. T. Magistratui concessa, *Rom. 13. v. 4. V. d. 12. t. 8.* Qvæ aliter nisi per bellum qvandoq; exerceri neqvit, De qvo in *Theologicis* pluribus. *Ex partibus vel* audaciam reprimendo, *vel* timorem repellendo fieri dicitur. *Ex gradibus* usitata & inusitata, quæ & Magnanimitas vocatur, est, de qvâ d. 9. t. 18.

16 *Cognata fortitudinis* omnes fortitudines impropriæ sunt, *t. 2. Patientia Philosophica*, qvâ levius fit, qvidqvid corrigere nefas est, *Horat. lib. 1. Od. 24.* Et qvâ Carolus V. graves articulorum dolores levabat, gedult / und ein wenig schreyen/ *Manl. Coll. p. 755.* Exempla apud *Valerium Maxim. l. 3. c. 3. Apolept. p. 1.* erquickt. *Zvingerum & Beyer-*

Beijerlingium proſtant. Et tolerantiæ ex ſemivirtutibus, *d. 13. t. 15. Vtra præſtãtior virtus, fortitudo, an Juſtitia*, hic qværi ſolet? Ageſilaus Juſtitiam prætulit, qvòd omnibus Juſtis nullus fortitudini locus, *Eraſm. l. 1. Apopht.* Sed qvãvis bellica fortitudo non uſum habeat, ſagata tamẽ, ut cum morbi, Injuriæ, miſeriæ, exilia, damna, fortiter ſuperantur, locum habebit: Et inter Juſtitiam Vniverſalem & particularem diſtingvendum. Illa fortitudine omninò præſtantior, *d. 5.* Hæc inferior, ſed eligibilior tamen eſſe poteſt. Aliud præſtantius, aliud utilius & eligibilius. Sic Juſtitia fortitudine αἱρετώτερον, ut *Ariſtoteles 3. Top. cap. 3.* vocat. Sic vinum aqvâ præſtantius: ſed hæc utilior, & febricitanti eligibilior eſſe poteſt

17. *Oppoſita ejus vel apparentia*, ut religio Chriſtiana *Machiavello. l. 2. Comm. c. 2.* Stultè, Cum multi Chriſtiani fortisſimi fuerint, ut Conſtantinus M. Othones, Henrici, Caroli, ut hiſtoria Eccleſiaſtica docet, & religio Chriſtiana fiduciam in Deum accendat, confidentiã ingerat, roboret, augeat, patientiam doceat, unde ingens ad fortiter agendum, audendum, & tolerandum ſtimulus, *vel vera ſunt, ut excesſus, audacia, temeritas*, & illicita confidentia, qvâ pericula ſine ratione adeuntur. Vt qvi regni amore alienas terras invadunt, ſcientes in malâ cauſâ militant, ῥιψοκίνδυνοι & pericula rapientes, non capientes, provocatores, duellatores & gladiatores temerarij, qvi lucri aut turpis rei gratiâ vulnera & mortes ſubeunt, qvi apud Chriſtianos non ferendi, 1. *Cor. 13. v. 5. Vid. Codicem l. 11. t. 43. Et Caſiſtas. Balduin. lib. 4. Caſ. Conſc. c. 1. Brochmand. L. C. d. leg. c. 11. ſ. 4. q. 4. Ameſium lib. 5. Caſ. C. 32.* Vnde & qvi ex deſtinato ſpectant duella, excommunicationi ſubjacent, per *Concil. Trid. ſ. 25. c. 19.* Facinoroſi aut ſagæ tormenta ſine motu ſuſtinentes, *V. d. Mag. act. C. 11. t. 9. Et defectus timiditas*, puſillanimitas, habitus vitioſus, actibus comparatus, qvà vilisſima & infra hominem poſita pertimeſcuntur. Tales meticuloſi, molles, effœminati, impatientes, qveruli, lacrymabundi ſunt, &c.